



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

Art. IX. An Scriptura convenienter utatur metaphoris, & sub una littera  
plures sensus contineat?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

re omnes ferè Episcopi & Doctores, cum D. Cypriano assererent, baptizatos ab Hæreticis, esse rebaptizandos: Beatus Stephanus eis assentiri noluit, sed cum alijs paucis, quorum sententia postea prævaluit, contrarium definivit. Unde de eo agens Baronius, anno Christi 258. ait: *Tunc plane enituit, quanta in Petri successore esset auctoritas: cum nullis ferè armis, quam majorum traditione vallatus, omnem Orientalium & Occidentalium impetum sustinuit Episcoporum.*

Ista ergo quinque loca faciunt probationem irrefragabilem, quia præbent principia certa de fide, & prima duo loca se habent tanquam norma ipsa & regula circa res fidei; alia verò tria, tanquam iudex, quò discernitur quid sit tenendum de fide: eò quod Ecclesia, Concilia, & Pontifices, habeant potestatem determinandi res fidei.

Præter hæc quinque loca, ex quibus argumenta certa & infallibilia deducuntur, alia quinque enumerari solent, ex quibus argumenta quædam probabilia erui possunt. Sicut enim in qualibet scientia, præter demonstrationes deductas ex principijs necessarijs, plura sunt argumenta probabilia, quæ ad illam indirectè tantum pertinent, ita & in Theologia. Hæc autem sunt, auctoritas SS. Patrum, auctoritas Theologorum, & Juris Pontificij peritorum, ratio naturalis, auctoritas Philosophorum, & denique historia humana: de quibus omnibus videri possunt Auctores supra citati.

Solum advertendum est, quod licet auctoritas Sanctorum Patrum, & Theologorum Scholasticorum, secundum se faciat argumentum solum probabile, ex alijs tamen adjunctis, etiam potest facere argumentum infallibile. Si enim illi confirmant suas sententias auctoritate Scripturæ, & illis applicent regulas fidei: vel si auctoritas Patrum & Scholasticorum, concors sit circa aliquid, quod in materia fidei vel morum grave est, communiter reputatur tanquam approbatum ab Ecclesia, & facit argumentum infallibile: siquidem major & eminentior pars Ecclesiæ, sunt ipsi Patres, & Doctores; nec ipsi sic concordant, nisi quia Ecclesia virtualiter ita approbat, vel definit, vel ex Scriptura deducitur.

## ARTICVLVS IX.

*An Scriptura convenienter utatur metaphoris, & sub una littera plures sensus contineat?*

Cum auctoritas Scripturæ, præcipuus sit locus, quò Theologia utitur ad probandas suas conclusiones, D. Thomas postquam art. 8. ad 2. decem locos Theologicos, jam expositos, enumeravit, & explicavit: art. 9. quærit, an Sacra Scriptura debeat uti metaphoris? & art. 10. an sub una littera habeat plures sensus? Quæ duo breviter hîc expediemus, hæc enim magis pertinent ad Scripturæ Interpretes, quam ad Theologos, & magis ad Theologiam positivam, quam ad scholasticam, spectant.

Dico ergo primò: convenientissimè Scriptura utitur metaphoris seu similitudinibus. Ita D. Thomas hîc art. 9.

Pro intelligentia hujus conclusionis, sciendum est, quod metaphora est translatio alicujus vocis à propriâ ad impropriam significationem: unde illæ omnes locutiones metaphoricae nuncupantur, in quibus nomen significat unum propriè, & accommodatur alteri quod non significat pro-

priè, sed per quandam similitudinem, vel comparisonem, seu translationem. Sicut dicitur Deus ignis consumens, propter charitatis ardorem: Christus vocatur leo, propter fortitudinem; agnus, propter mansuetudinem; vitis, propter influxum gratiæ in justos, tanquam in palmites in ipso radicatos, eique per charitatem conjunctos. Hoc præmissò,

Probatum primò conclusio ratione D. Thomæ, quæ ad duo capita reducit. Primum se tenet ex parte nostra: *Deus enim (inquit) omnibus providet secundum quod competit eorum natura: est autem naturale homini, ut per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet.* Unde Dionysius cap. 1. cœlestis Hierarchiæ: *Impossibile est nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvolutum.*

Confirmatur ex eodem S. Doctore in 1. dist. 34. quaest. 1. art. 1. Cum in homine duplex sit pars cognoscitiva, scilicet intellectiva & sensitiva, ad divinam providentiam pertinet, ut utraque, secundum quod possibile est, ad divina reducat: Ergo conveniens est, ut sicut Scriptura, spiritualia nobis tradendo, partem intellectivam perficit; ita sensitivam perficiat, utendo figuris rerum corporalium, quæ sensitiva parte capi possunt.

Secundum caput ex quo D. Thomas sumit convenientiam utendi metaphoris in Scriptura Sacra, sumitur ex parte ipsius Scripturæ: pertinet enim ad ejus majestatem, loqui in mysterio & sacramento, res ita altas & sublimes, quales sunt articuli nostræ fidei, qui in ea continentur. Item profunda fidei occultanda sunt Infidelibus, ne ea irrideant (iuxta illud Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus*) & simplicibus, ne ex illis errandi occasionem sumant.

Præterea (vt discurret S. Doctore loco citatò) de Deo veriùs cognoscimus quod non est, quam quod est, ut dicit Dionysius: unde cum hæc corporea magis à Deo distent, quam spiritualia, modus convenientissimus significandi divina, est per metaphoras & similitudines rerum corporalium.

Denique ut ait Augustinus: *Quædam modum multa per vitrum aut succin pellucet incunctius, ita magis delectat veritas, per imagines & symbola collucens.* Quare Christus hominum Salvator & Magister, multa in parabolis locutus est: imò ut dicit Scriptura, *non nisi in parabolis loquebatur.* Unde Chrysologus, *Si dicta vel facta Christi passim carnalibus sensibus subijcerentur, torpesceret animus, mens vacaret, dormiret ingenium, cor tabesceret, extingueretur quidquid humani vigoris est & calor.* Quare variis Christus suis parabolis proposuit: sicut enim in lapide friget ignis, latet ignis in ferro, ipse tamen ignis, ferri ac lapidis collisione flammatur; sic obscurum verbum, verbi ac sensus collatione resplendet. Et inc est quod doctrinam suam Christus parabolis velat, tegit figuris, sacramentis operit, reddit obscuram mysterij. Item Propheta sæpissimè metaphoris & parabolis usi sunt, juxta illud Osæ cap. 12. *Ego visionem multiplicavi eis, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* Et de viro sapiente dicitur Ecclesiastici 39. *Occulta proverbiorum exquireret, & in versutias parabolarum simul introibit; ipseque Salomon hominum sapientissimus, librum Parabolarum composuit: Unde de eo dicitur Ecclesiastici 12. Cum esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit*

Epist. 119.

Serm. 96.

docuit

*docuit populum, & enarravit quæ fecerat, & investigans composuit parabolas multas.*

84. Dices, Theologia in sui cognitione procedit per descensum à Deo ad creaturas: unde prius agit de Deo, ejusque attributis, & relationibus, quam de Angelis, & alijs creaturis, quæ ab ipso ut primo principio processerunt: Ergo cum metaphora procedant per ascensum à corporeis ad spiritualia, & à creaturis ad Deum, non est conveniens Theologiam, vel Sacram Scripturam, uti metaphoris.

Respondetur quod licet Theologia, in cognitione iudicativa procedat per descensum Dei ad creaturas; quia tamen in apprehensiva, ascendit à creaturis ad Deum, juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur* &c. ideo Theologia, & Scriptura Sacra, convenienter utuntur metaphoris & similitudinibus rerum corporalium, ut per eas melius homines possint apprehendere, & concipere res divinas & supernaturales, quæ non apprehenduntur à nobis, nisi per similitudines rerum corporalium, & per species à rebus sensibilibus acceptas.

85. Dico secundo: duplicem esse sensum Scripturæ, unum historicum seu litteralem, & alterum spirituales sive mysticum; & hunc tres alios continere, nempe Allegoricum, Moralem, & Anagogicum. Ita D. Thomas hic art. 10. ubi hac ratione probat primam partem nostræ conclusionis. *Author (inquit) Sacre Scripturæ est Deus, in cuius potestate est, ut non solum voces ad significandum accommodet, quod homo facere potest, sed etiam res ipsas. Et ideo cum in omnibus scientiis voces significant, hoc habet proprium ista scientia, quod ipse res significata per voces, etiam significant aliquid. Illa ergo prima significatio, quæ voces significant res, pertinet ad primum sensum, qui est historicus, vel litteralis: illa verò significatio, quæ res significatæ per voces, iterum res alias significant, dicitur sensus spiritualis, qui super litteralem fundatur, & eum supponit.*

86. Secunda etiam pars, quæ asserit sensum spirituales, sive mysticum, tres alios continere, nempe Allegoricum, Moralem, & Anagogicum, sic probatur ab eodem S. Doctore ibidem: *Sicut enim dicit Apostolus, lex vetus figura fuit nove legis, & ipsa nova lex, ut dicit Dionysius, est figura futura gloriæ. In nova etiam lege, quæ in capite sunt gesta, eorum sunt figura quæ nos agere debemus. Secundum ergo quod ea quæ sunt veteris legis, significant quæ sunt nove legis, est sensus allegoricus. Secundum verò quod ea quæ in Christo sunt facta, vel in his quæ Christum significant, sunt signa eorum quæ nos agere debemus, est sensus moralis. Prout verò significant ea quæ sunt in æterna gloria, est sensus anagogicus: id est sublimis, & sursum ducens intelligentiam: quæ omnia his versibus explicantur.*

*Littera gesta docet, quid credas Allegoria.*

*Moralis quid agas, quæ tendas Anagogia.*

87. Hac ergo vox Hierusalem v. 6. designat ad litteram præcipuam urbem Palestine, allegoricè Ecclesiam militantem, moraliter animam iustam & sanctam, & anagogicè Ecclesiam gloriosam & triumphantem. Similiter illud Psalmi 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ad litteram exponi potest de Civitate Hierusalem: allegoricè, de Ecclesia; moraliter, de mente forti; & anagogicè, de æterna ac cœlesti patria.

Tom. I.

A Hos autem quatuor sensus in Sacris Scripturis latere, certum est de fide. De litterali patet, de allegorico, probatur ex illo Apostoli ad Galat.

*4. Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit &c. quæ sunt per allegoriam dicta, hæc enim sunt duo Testamenta.* Et 1. ad Corinth. 9. *Scriptum est in lege Moysi, non alligabis bovi trituranti: nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit?* Ubi apertè docet Paulus illud Genesis 6. *Abraham habuit duos filios*, duplicem sensum habere: alterum de Isaac & Ismaele, qui litteralis est: alium verò spirituales & allegoricum, de duobus Testamentis.

Item illud Deuteronomij 25. *Non alligabis os bovi trituranti*; præter sensum litteralem notissimum, docet Apostolus alium continere spirituales, & mysticum, & posse intelligi de Prædicatoribus Evangelij, quibus esse à fidelibus necessaria ad vitam ministranda, significatur. Idem dici potest de illo Exodi 12. *Os non comminuetis ex eo*, & de illo Osee 11. *Ex Agypto vocavi filium meum.* Primum namque de Agno Paschali litteraliter intelligitur; secundum verò de populo Israëlitico, & utrumque spiritualiter de Christo, in quo illa esse impleta, docent Evangelistæ, ut constat de primo Ioan. 19. versu 36. & de secundo Matthæi 2. versu 15. De sensu verò morali, omnes consentiunt inveniri in sacris litteris, & constat ex illo quod dicit Apostolus de antiquis Patribus, omnia illis in figura contigisse: id est in exemplum nostrum; & in nostram instructionem, & correctionem, ut interpretantur Doctores. Denique quantum ad sensum anagogicum, colligitur ex eodem Apostolo ad Hebræos 9. ubi docet Tabernaculum illud manufactum, exemplar fuisse Tabernaculi æterni, in quod Christus per proprium sanguinem introivit.

C Quæres primò, An quilibet locus Scripturæ, hos quatuor sensus contineat?

88. Respondeo negativè cum D. Thoma quodlibeto 7. art. 15. ubi ait, *Dicendum quod hi quatuor sensus non attribuuntur Sacre Scripturæ, ut in qualibet ejus parte sit istis quatuor sensibus exponenda: sed quandoque istis quatuor, quandoque tribus, quandoque duobus, quandoque uno tantum &c.*

D Quæres secundo, quis horum sensuum sit potior, & à Deo magis intentus, litteralisne, an spiritualis?

Respondeo quod licet sensus litteralis potior sit, & certior, quoad nos, quam spiritualis, quia tantum ex sensu litterali certum depromitur argumentum: quando tamen sensus litteralis, simul habet conjunctum sensum mysticum (ut sæpe accidit) tunc inferior est dignitate, quam spiritualis: sensus enim spiritualis, ut dicit Origenes, est sicut animus, litteralis verò sicut corpus; unde dicit Apostolus, *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Idem colligitur ex eodem Apostolo supra citato, ubi explicans illud Deuteronomij 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, subdit, *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit?* Quibus verbis significat, sensum præcipuè intentum à Deo, non esse litteralem, & spectantem ad curam quam Deus habeat de illis animalibus; sed spirituales, & mysticum, ac pertinentem ad Ecclesiæ Prædicatoribus, quibus à fidelibus necessaria ad vitam ministranda esse, declarare intendit. Unde cum D. Thomas hic ait, quod *sensus litteralis est quem*

D

*1. Re- gum 20.*  
*author intendit*, intelligendus est, primò & proximè: per eum tamen mox sensus spiritalis intentus est, & quandoque magis quam literalis. Non secùs ac cùm Ionathas dixit puero suo, *Ecce ibi est sagitta porro ultra te*. Licet proximè intenderet, ut puer tolleret sagittam, qua ultra eum iacta fuerat: magis tamen intendebat, ut David illis verbis admonitus, fugiendum sibi esse intelligeret, ne à Saùle caperetur.

Quæres tertio, an idem locus Scripturæ possit plures sensus literales habere?

Respondeo affirmativè, cum D. Thoma hinc in fine corporis articuli, ubi sic ait: *Quia sensus literalis est quem author intendit: author autem Sacre Scripturæ Deus est, qui omnia simul sub intellectu comprehendit, non est inconveniens, ut dicit Augustinus 12. Confessi etiam secundum litteralem sensum, in una littera scripturæ plures sint sensus*. Quod scripturæ Interpretes pluribus exemplis declarant: duo tantùm hinc sufficient. Primum sumitur ex illo Psalmi 2. *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te*, quod de aeterna nativitate Christi intelligitur à Paulo ad Hebræos 1. de Resurrectione autem Christi intelligitur ab eodem Actor. 13. & potest etiam intelligi de nativitate temporali ex Beata Virgine: certum est autem quod Paulus, cùm in illis locis disputaret contra Iudæos, non nisi in sensu literali locum istum intelligebat, alioquin ejus probatio non fuisset efficax. Secundum Exemplum petitur ex illo Osee 12. *Ex Aegypto vocavi filium meum*, qui ad litteram non tam de populo Israëlito, quam de Christo intelligitur, ut videri potest apud Scripturæ Interpretes.

## ARTICVLVS X.

*Vtrum præter Philosophicas Disciplinas, necessaria sit hominibus, doctrina alia Supernaturalis, ac divinitus inspirata?*

89. **A**FFIRMAT D. Thomas art. 1. hujus quaestionis, idque probat duplici ratione. Prima est: cùm homo ordinetur ad Deum tanquam ad finem supernaturalem, & totius naturæ creatæ vires excedentem, indiget aliquâ cognitione supernaturali, quæ illum dirigat ad hujusmodi finem consequendum, subindeque doctrinâ aliquâ supernaturali, ac divinitus inspiratâ. Secunda petitur ex eo quod veritas de Deo, per solam rationem naturalem investigata, non nisi per longum tempus, & cum admixtione multorum errorum, homini proveniret, ut manifestum est in antiquis Philosophis: quot enim errores protulit antiqua & Pagana Philosophia? Plato innumeras ideas per se subsistentes, & à singularibus separatas finxit, Pythagoras animarum transmigrationem somniavit, Averroës ridiculam de communi intellectu sententiam excogitavit, Heraclitus rerum omnium motionem imaginatus est, Nicæus & Aristarcus, perpetuam Sphaerarum cœlestium quietem statuerunt; Democritus, Epicurus, & Anaxagoras, atomorum compositionem, Aristoteles mundi aeternitatem docuit. Denique, ut ait Tertullianus, *Plus hominibus nocuit quam profuit antiqua Philosophia, à qua hæreses omnes subornantur*.

**A** hæc omnium errorum genitrix, alvix, gubernatrix, ornatricis: Hæreticorum Patriarcha fuere Philosophi, de quorum ingenio omnis hæresis animatur. Ut ergo tutius & expeditius, ad ea quæ de Deo lumine naturali cognosci possunt, percipiendâ, dirigeretur humanæ mentis acies; ne dum utilissima, sed etiam simpliciter necessaria ei fuit divinæ & supernæ lucis infusio, & doctrina quædam seu scientia supernaturalis, ac divinitus inspirata, cujus fulgentissimis radiis, effusa hominum mentibus errorum tenebræ fugarentur, ipsaque veritas, omni deterfa fallarum opinionum caliginè, mundo clarissimè innotesceret.

**B** Caterùm gravis difficultas est, quid per doctrinam divinitus inspiratam intellexerit D. Thomas? Ratio dubitandi est, quia ut optimè arguit Caietanus, ex una parte, non videtur posse explicari Doctor Sanctus de fide: tum quia, si in primo articulo hujus quaestionis, intendisset probare necessitatem fidei, non debuisset id repetere 2. 2. quaest. 2. art. 3. ubi tamen ex professo demonstrat fidei necessitatem: tum etiam, quia in hac prima parte, valde æquivocè processisset, cùm manifestum sit, ipsum art. 2. & sequentibus agere de scientia Theologiæ, non autem de fide. Ex alia verò parte, non videtur minùs inconveniens, ipsum de scientia Theologiæ explicare, necessitatem enim doctrinæ revelatæ probat, quia homo ordinatus est ad finem supernaturalem, quem proinde oportuit hominibus per doctrinam aliquam supernaturalem manifestari; hoc enim sufficienter præfatur per fidem, nec ullatenus ad id necessaria est scientia Theologiæ, ut experientiâ constat, cùm plures idiotæ & mulieres, absque tali scientia, salutem aeternam consequantur.

**C** Huic dubitationi & difficultati responderet doctissimus ille Cardinalis, quem sequuntur plures ex nostris Thomistis, Sacram Doctrinam non accipi à D. Thoma in primo articulo hujus quaestionis, nec pro fide præcisè sumpta, nec pro Theologia præcisè, sed pro Sacra Doctrina ut sic, prout præcendit à fide & à Theologia, & est aliquid commune & superius ad utramque. Per quam responsonem putat utriusque partis supra relaxatâ inconvenientia devitare: sic enim primò optimè salvatur, quomodo sacra doctrina sit necessaria cuilibet homini, ut suum finem supernaturalem cognoscat; quia licet, ut supra dicebatur, hoc non videatur posse verificari de scientia Theologiæ, verificatur tamen de fide, ac proinde de sacra doctrina, quæ habet rationem generis ad fidem & Theologiam; cùm quiddam de speciebus disjunctim enuntiat, conjunctim generi possit attribui. Ex alia verò parte, non sequuntur absurda supra adducta: nō quidè prius, quia in secunda secundæ agit de sacra doctrina non in genere, sicut hinc, sed in specie, & in particulari de fide: nec posterius, quia nulla est æquivocatio incipere à sacra doctrina in genere. & postea descendere ad illam in specie, imò hæc est methodus generalis in tradendis scientiis, ut priùs incipiatur à communibus, & postea ad particularia descendatur. Hæc responso & doctrina valde probabilis est.

**D** Non caret etiam probabilitatè, quod dicunt Navaretæ, & Ioannes à S. Thoma, alijque ex Discipulis D. Thomæ, nempe S. Doctorem, per Sacram Doctrinam, Theologiam propriè & specificè sumptam intelligere: nam de eadem om-